

EPISTULA LEONINA

CCXLVI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEXTAM (246)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-04
»NUM ODORE OFFENDERIS?«.....	05
CICERO QUID SCRIPSERIT DE OBSCENIS VERBIS DEVITANDIS.....	06-08
GOETHEUM IN ITALIA FRUSTRA PETIVISSE SECESSUM.....	09-11
NON MENTE SED MENTULA Erasmus qualem passus sit ultionem typographi.....	12
»HIC CACAVIT BENE« De latrinis Romanorum.....	13-19
QUID CARDINALIS BACCI DIXERIT DE NOVIS VERBIS CONFINGENDIS.....	20
PARTES SELLAE FAMILIARICAE.....	21-22
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	23
CORRIGENDA ET SUPPLENDA.....	24
LIBRI LEONIS LATINI.....	25-28

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.



Cara Lectrix, Care Lector,

*utinam bene valeatis tantoque otii fruamini, ut vobis liceat
helluari¹ hac Epistulâ Leoninâ!*

*Furore pandemiae putativae saeviente oportet animum
armare armis philosophiae bonarumque litterarum. At ipsâ in
hac tempestate rerum etiam iuvat et delectat ludendo desipere
et sermone Latino describere non solum res altioris
sapientiae, sed etiam crassae Minervae et maximê cottidianas.
Quidnam magis cottidianum est quam requisita naturae, id est
– habeas me excusatum – alvi vesicaeque exoneratio?
Dubium non est quin Romani in philosophiâ et scientiis et
poesi et artibus musicâ et figurativâ a Graecis longê superati
sint, sed iisdem haud minus praestiterint et iurisprudentiâ et
re militari et administrativâ necnon rebus technicis efficaciter
adhibendis et per Imperium suum diffundendis, quales sunt
aquaeductûs et balnea et cloacae et latrinae. Necnon certo*

¹ cfr ThLL 6.3, 2597 s.v. **helluor, -atus sum, -ari**, lin.60sqq.: *transl. (fere i. q. perfrui, delectari)*: Cic. fin. 3,7 *Cato quasi -ari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. HIER. in Eph. 4,22 p.507 c in opere corruptionis -ans.*

*constat Romanos optimê meritos esse de arte hygienicâ et re sanitariâ admirabiliter excultâ et exauctâ. - Itaque in animo mihi est in hac et in duabus proximis Epistulis Leoninis (247 et 248) disquirere, quomodo et antiqui homines et recentiores tractaverint **REQUISITA NATURAE**. Vobis praebebo historiolum latrinae et secessûs necnon prolixum **THESAURUM LATRINAE**, in quo nomina locutionesque Latinas afferam quae spectant ad requisita naturae. Utar, ubicumque potero, Thesauro linguae Latinae lexico Latino totius orbis terrarum longê optimo; ubi agitur de verbis a thesaurariis nondum tractatis, utar symbolis Forcellinii et Ducangii aliorumque coryphaeorum lexicographiae Latinitatis. Ergo – ut ait **Apuleius Madaurensis** in *Asini Aurei prooemio* - »Lector (Lectrixve) intende: laetaberis«. Pancraticê vale et perge mihi favere.*

Medullitus te salutat

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Martis

23. m. Nov. a. 2021



»NUM ODORE OFFENDERIS?«

»NON OFFENDOR.«.

»ATQUI E LOTIO EST!«

SUETONIUS, *De vita Caesarum*. *Vespasianus* 22 Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinae vectigal commentus esset, pecuniam ex primâ pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur; et illo negante: Atqui, inquit, e lotio est.

CICERO QUID SCRIPSERIT DE OBSCENIS VERBIS DEVITANDIS

CIC.fam.IX 25. Scr. anno incerto.
CICERO PAETO.

Amo verecundiam, tu εὐθυρορημοσύνην vel potius libertatem loquendi. Atqui hoc Zenoni¹ placuit, homini mehercule acuto, etsi Academiae nostrae² cum eo magna rixa est - sed, ut dico, placet Stoicis suo quamque rem nomine appellare. Sic enim disserunt: Nihil esse obscenum, nihil turpe dictu; nam, si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse aut in verbo; nihil esse tertium. In re non est. Itaque non modo in comoediis res ipsa narratur — ut ille in Demiurgo³:

'modo forte' — nosti canticum; meministi Roscium⁴ — *'ita mé destituit núdum.'*⁵

Totus est sermo verbis tectus, re impudentior; sed etiam in tragoediis. Quid est enim illud:

*'quae múlier una'?*⁶ quid, inquam, est — *'usurpat dúplex cubile'?*

¹Zenon conditor scholae stoicae. Sed Euripides (sic Büchmann, Geflügelte Worte, 23.Aufl. 1907, p.364, sed is non indicat locum Euripideum!): **Οὐκ αἰσχρὸν οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς**, cfr **NATURALIA NON SUNT TURPIA** (locum testem non invenimus!). cfr SERV.Verg.georg. 3,96 **turpis non est quia per naturam venit**. Diogenes Laertius scribit Diogenem Sinopeum Cynicum *omnia fecisse coram publico, et opera Cereris et Veneris*. Quibus verbis biographus philosophorum sentit philosophum caninum publicè vesicam alvumque exonerasse necnon masturbatum esse. cfr Diogenes Laertius, 6,46 Χρημάτων δεόμενος ἀπαιτεῖν ἔλεγε τοὺς φίλους, οὐκ αἰτεῖν. ἐπ' ἀγορᾶς ποτε χειρουργῶν, "εἶθε," ἔφη, "καὶ τὴν κοιλίαν ἦν παρατριψάντα μὴ πενήν." --- 6,69 Ἐρωτηθεὶς μεράκιον κάλλιστον ἐν ἀνθρώποις, ἔφη, "παρρησία." ...εἰώθει δὲ πάντα ποιεῖν ἐν τῷ μέσῳ, καὶ τὰ Δήμητρος καὶ τὰ Ἀφροδίτης. καὶ τοιούτους τινὰς ἠρώτα λόγους: εἰ τὸ ἀριστᾶν μηδὲν ἐστὶν ἄτοπον, οὐδ' ἐν ἀγορᾷ ἐστὶν ἄτοπον: οὐκ ἔστι δ' ἄτοπον τὸ ἀριστᾶν: οὐδ' ἐν ἀγορᾷ ἄρα ἐστὶν ἄτοπον. χειρουργῶν τ' ἐν τῷ μέσῳ συνεχέας, "εἶθε ἦν," ἔλεγε, "καὶ τὴν κοιλίαν παρατριψάμενον τοῦ λιμοῦ παύσασθαι:" ἀναφέρεται δὲ καὶ ἄλλα εἰς αὐτόν, ἃ μακρὸν ἂν εἴη καταλέγειν πολλὰ ὄντα.

²Academia nostra: i.e. schola Platonis, quam Cicero plus minusve sequitur.

³*Demiurgus* est comoedia Menandri, quam Turpilius retractavit, ut ad scaenam Romanam accommodaret. Quâ in fabulâ agitur de puellâ, quae praeparat nuptias suas. Iuvenis, qui loquitur verba sequentia, amorem habebat erga meretricem, quam nunc finire vult virginem illam in matrimonium ducturus.

⁴Roscium fuit histrio illustris, qui olim personam gesserat illius iuvenis.

⁵*ita mé destituit núdum*: i.e. totam pecuniam mihi abstulit inter coitum venereum. Hoc iuvenis narravit in *re ipsa*, ut ait Cicero decenter.

⁶Quae verba excerpta sunt ex Accii fabulâ, c.t. *Clytaemnestra*. Electra his verbis usa indignatur, quod mater moechatur cum Aegistheo amatore.

quid? ‘*huius ferei hīc cubile inīre est ausus*’?⁷ quid est: ‘*virginem me quōndam invitam pēr vim violat Iūppiter*’?⁸ Bene ‘*violat*’: atqui idem significat, sed alterum nemo tulisset.

Vides igitur, cum eadem res sit, quia verba non sint, nihil videri turpe. Ergo in re non est: multo minus in verbis; si enim, quod verbo significatur, id turpe non est, verbum, quod significat, turpe esse non potest. “*Anum*” appellas alieno nomine⁹: cur? si turpe est, ne alieno quidem; si non est, suo potius. Caudam antiqui “*penem*” vocabant, ex quo est propter similitudinem “*penicillus*,” at hodie “*penis*” est in obscenis. “*At vero Piso ille Frugi in Annalibus suis*¹⁰ *queritur adolescentes peni deditos esse.*” Quod tu in epistula appellas suo nomine¹¹, ille tectius “*penem*,” sed, quia multi, factum est tam obscenum quam id verbum, quo tu usus es. Quid, quod vulgo dicitur, “*cum nos*¹² *te voluimus convenire,*” num obscenum est? Memini in senatu disertum consularem ita eloqui: “*hanc culpam maiorem an illam dicam*¹³?” potuit obscenius? “*Non obscene,*” inquis; “*non enim ita sensit.*” Non ergo in verbo est; docui autem in re non esse: nusquam igitur est. *Liberis dare operam* quam honeste dicitur! etiam patres rogant filios; eius operae nomen non audent dicere¹⁴. Socraten fidibus docuit nobilissimus fidicen; is *Connus*¹⁵ vocitatus est: num id obscenum putas? Cum loquimur *terni*, nihil flagitii dicimus; at, cum *bini*, obscenum est. “*Graecis quidem,*” inquis¹⁶. Nihil est ergo in verbo, quoniam et ego Graece scio et tamen tibi dico *bini*, idque tu facis, quasi ego Graece, non Latine, dixerim. *Ruta et menta*, recte utrumque: volo mentam pusillam ita appellare, ut *rutulam*; non licet¹⁷.

⁷ Haec verba excerpta sunt ex tragoediâ nobis ignotâ; verisimile est eadem spectare ad Atreum et Thyestem.

⁸ Sunt verba fabulae a Pacuvio scriptae, c.t. *Antiopae*. Illâ in fabulâ Iuppiter in formam Satyri mutatus cum Antiopâ genuit geminos Amphionem et Zethum.

⁹ *ânus* est nomen alienum (nam valet proprio sensu i.q. circus, anulus). Nomina propria sunt *culus* et *podex*.

¹⁰ Piso Frugi, consul 133 a.Chr.n., auctor librorum annalium.

¹¹ Nomen ipsius *penis* proprium et originale est *mentula*; nam penis prius valuit *caudam*, velut *bovinam*.

¹² Verba, q.s. *cum nos* si parum distinctê pronuntiantur, Romana auris audit verbum, q.e. *cunnus*, i.e. organum feminae genitale.

¹³ *illam dicam*: Haec verba si rapidê pronuntiantur inter se coniuncta, Romanus audit *landicam*; *landica* est autem i.q. graecê κλειτορίς.

¹⁴ *eius operae nomen non audent dicere*: i.e. *futuere* aut *coire*, *inire*.

¹⁵ *Connus*: sonat similiter ac *cunnus*.

¹⁶ Numerale distributivum Latinum q.e. *bini*, Graecus si audit, in mentem ei venit verbum sermonis sui patrii, q.e. *βίνοι*, quod significat: *futuere*!

¹⁷ Cicero sentit indecōrum esse deminutivum nominis plantae fingere, quod sit *menta*, nam hoc deminutivum esset *mentula*, ergo confunderetur cum nomine membri virilis.

Belle *tectoriola*: dic ergo etiam *pavimenta* isto modo; non potes¹⁸. Viden igitur nihil esse nisi ineptias? turpitudinem nec in verbo esse nec in re; itaque nusquam esse. Igitur in verbis honestis obscena ponimus. Quid enim? non honestum verbum est *divisio*?¹⁹ at inest obscenum, cui respondet *intercapedo*.²⁰ Num haec ergo obscena sunt? Nos autem ridicule: si dicimus *ille patrem strangulavit*, honorem non praefamur; sin de Aurelia aliquid aut Lollia, honos praefandus est²¹. Et quidem iam etiam non obscena verba pro obscenis sunt: *battuit*, inquit, impudenter, *depsi* multo impudentius; atqui neutrum est obscenum. Stultorum plena sunt omnia: *testes* verbum honestissimum in iudicio, alio loco non nimis²²; et honesti, *colei Lanuvini*, *Cliternini* non honesti²³. Quid? ipsa res modo honesta, modo turpis: suppedi, flagitium est; iam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes scholam Stoicam: ὁ σοφὸς εὐθυρορημονήσει. Quam multa ex uno verbo tuo! Te adversus me omnia audere gratum est: ego servo et servabo — sic enim adsuevi — Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quae apertissimis agunt Stoici; sed illi etiam crepitis aiunt aequae liberos ac ructus esse oportere. Honorem igitur Kalendis Martiis²⁴. Tu me diliges et valebis.

XX

Haec epistula Ciceronis ad Paetum scripta (fam.IX 25) speciatim tractata et explicata est a Vilelmo Wendt in dissertatione academica, quae inscribitur: «Ciceros Brief an Paetus IX,22», Gießen 1926. Explicationes excerpsi ex hac editione quae sequitur: M. TULLI CICERONIS EPISTULARUM AD FAMILIARES LIBRI XVI – MARCUS TULLIUS CICERO AN SEINE FREUNDE. Lateinisch-deutsch ed. Helmut Kasten. Darmstadt, 2.ed., a.1976, p.988sq. LEO LATINUS

¹⁸ Deminutivum verbi, q.e. *pavimentum*, esset *pavi-mentula*; quo verbo ficto oreteretur notionum associatio obscaena.

¹⁹ *di-visio*: Hoc verbum a Cicerone evitatur, quia *visio* valet flatum ventris sine sono editum.

²⁰ *interca-pêdo*: *pêdô* est i.q. crepitem ventris êdô.

²¹ *Aurelia et Lollia*: Aurelia Orestilla fuit altera uxor Catilinae, Lollia uxor Gabinii. Uterque uxor non fuit bene famata.

²² *testes* sunt etiam *colei* sive *testiculi*, i.e. gemina organa gignendi virilia.

²³ cfr ThLL 3,1571,12-16: *c o l e u s*, -i m. [*origo non facile definienda, quia ignoramus sensum non obscaenum quem habebat verbum colii Lanuvini* (Cic. *epist.* 9,22,4 *infra* l. 22). *sunt qui conferant c. κολλεός, κολλεός, culleus*, v. Havet, *Archiv* 9 (1896) 308; alii c. *Caulis, colis*

sensu obscaeno, v. Walde, *Lat. Etym. Wb.*, s.v. *Th.*]

²⁴ *Honorem igitur Kalendis Martiis*: i.q. Loquamur ita ut decet coram matronis honestis. Kalendis Martiis, i.e. primâ die mensis Martii, fiebant *Matronalia*. Haec erat sollempnitas templi Iunonis Lucinae, quae ad neminem spectabat nisi ad matronas, i.e. uxores honestas.

GOETHEUM IN ITALIA FRUSTRA PETIVISSE SECESSUM SELLAMQUE FAMILIARICAM



Quid Goetheus quaesivit in Italiâ?....


Verba ex Iohannis Volfgangi Goethei “Itinere Italiano” excerpta
in Latinum convertit Leo Latinus.

*Torbole, die 12. m.Sept., post cenam. scripsi sub gradu
quadragésimo quinto minutâ quinquagesimâ.*

*Vespere frigidulo ambulavi et nunc versor in terrâ verê novâ, in
circumiectis perquam alienis. Homines dissolutam vitam vivunt more
Cucaniensium: primum ianuae sunt claustrorum expertes; caupo
autem mihi affirmavit nullam esse causam, cur sollicitarer, etiamsi
omnia, quae mecum haberem, constarent ex adamantibus pretiosis-
simis; secundo fenestrae clausae non sunt quadris vitreis, sed chartis
oleatis; tertio cum deest commoditas quaedam maximê necessaria,
homines hîc aliquatenus appropinquant statui naturali.¹*

¹ orig. “drittens fehlt eine höchstnötige Bequemlichkeit, so dass man dem Naturzustande hier ziemlich nahe kömmt.” Commoditas maximê necessaria i.q. secessus, latrina. orig. „eine höchstnötige Bequemlichkeit“, i.e. verbatim „commoditas maximê necessaria“; etiam dicit „eine gewisse Gelegenheit“, i.e. verbatim „quaedam occasio“.

Servus domesticus a me rogatus, ubinam talis esset, digito monstravit aulam infra sitam: »Qui abasso può servirsi!« Ego quaesivi: »Dove?« – »Da per tutto, dove vuol!« ille respondit cômiter. Apparet illos esse maximâ animi securitate, tamen satis habere vigoris et alacritatis.



Hoc quaesivit - sed non invênit !¹

Vicinae per totum diem garrunt, clamitant, omnes simul aliquid agunt, aliquid tractant. Nullam adhuc vidi mulierem otiosam.

Caupo Italicâ cum emphasi mihi nuntiavit se esse felicem, quod sibi liceret mihi offerre tructam omnium delicatissimam. Tales tructae capiuntur prope Torbole, ubi rivus e montibus defluit et piscis studet ascendere. Imperator ex hóc piscatu redempturam accipit decem milium florenorum. Qui pisces non sunt verae tructae, sunt magni, interdum pendunt quinquaginta libras, punctati sunt per totum corpus

¹+Rimae theodiscae, i.e. versûs extremis syllabis consonantes supra lineamentum latrinulae scriptae valent ferê haec quae sequuntur (versio prosaica): *Ubi magnus noster Goetheus vivens sit versatus, de hac re hodie omnes certiores fiunt aut versibus aut prorsâ oratione; ubi vixerit, amaverit, habitaverit, consederit; quomodo se gesserit et quid comederit; haec omnia narrantur, sed una res non memoratur: quam ut in memoriam vobis revocemus, monstramus hac imagunculâ. Vos qui Goetheum diligitis, magni aestimatis, veneramini: etiam hac in domunculâ – Goetheus versatus est.*

usque ad caput; sapor eorum est inter tructae et salmonis, tener et probus.

Summâ autem cum voluptate comedo fructûs, ficûs, etiam pira, quae necessario ibi sunt delicatissima, ubi iam crescunt citra.

**HAEC VERBA
EX ITINERE ITALICO IOHANNIS
VOLFGANGI DE GOETHE
EXCERPSIT
ET IN LINGUAM LATINAM
CONVERTIT
LEO LATINUS.**

NON MENTE SED MENTULA

Erasmus qualem ultionem passus sit a typographo sibi illatam

A.1529 Erasmus Roterodamus Mariae reginae Hungariae librum dedicavit, qui inscribitur *Vidua Christiana*. Haec regina, quae fuit soror Imperatoris Caroli V., a.1521 nupserat Ludovico rêgi Hungariae, qui a.1526 in proelio prope *Mohatz* infeliciter mortem obierat. Erasmus affirmat reginam bene eruditam libros Latinos valdê diligere¹: »*Caesaris germana Maria Latinos codices habebat in deliciis, cui nuper scripsi Viduam Christianam. Id efflagitarat a me quidam Ecclesiastes illi charissimus. Scena rerum humanarum invertitur: Monachi litteras nesciunt, et foeminae libris indulgent*«.

Alterâ in epistulâ Erasmus narrat, qualis ultio sibi illata sit a typographo, qui imprimeret hoc opusculum reginae Hungariae dedicatum²: »*Nuper cum inter imprimendum excusores aliquot me sibi xenia³ nondum persolvisse, exortus est inter eos quidam caeteris vinolentior, qui profiteretur, se poenas a me exacturum, ni darem; atque id profecto veterator tam egregie effecit, ut aureis nummis trecentis redimere eam ignominiam voluissem. Cum enim in Vidua mea, quam Serenissimae Hungariae Reginae dedicaveram, ad laudem cuiusdam sanctissimae foeminae, inter alia liberalitatem illius in pauperes referrem, haec verba subiunxi: Atque mente illam usam semper fuisse, quae talem foeminam deceret. Unde scelestus ille animadvertens sibi vindictae occasionem oblatam esse ex mente illâ mentula fecit. Itaque volumina mille fuere impressa*«.

Carolus Iulius Weber nos certiores facit⁴ illum typographum ulciscendi cupidum, qui non solum verbum *mentis* deformasset, sed etiam verbum *decus* mutavisset in *pecus*, ab Erasmo in ius vocatum, sed a iudice *exceptione erroris* absolutum esse.

Scriptit LEO LATINUS

¹ cfr Pierre Bayle, *Historisches und Critisches Wörterbuch*, nach der neuesten Auflage von 1740 ins Deutsche übersetzt, Band 2, Leipzig 1742, p.835. Qui indicat epistulam Erasmi XXXI, lib.XIX p.846, v. etiam Ep.XX, Lib.XXVI, p.1432.

² cfr Bayle, loc.cit., ubi indicat epistulam LXVIII libri XXX, p.1956, quae data sit Friburgi, d.9. m.Ian. a.1535.

³ Xenia hōc loco sunt strenae, i.e. dona in annum ineuntem danda.


⁴ Karl Julius Weber, *Demokritos, oder, Hinterlassene Papiere eines lachenden Philosophen*, 8.Bd., Stuttgart 1843, p.157: „Spott veranlaßte schon gar viele Injurienprozesse, *exceptio erroris* (= Ausnahme von der Anwendung des Gesetzes wegen des Irrthums) hilft nicht immer durch, und wenn sich auch jener Buchdrucker, der in einer Dedikation des Erasmus an die Königin Ungarns, aus Rache gegen den Autor, statt *mente*, *mentula*, und *statt decus*, *pecus* druckte, sich noch mit Druckfehlern durchhalf, so wurde dafür ein anderer, der an Mr. N.N. Marchand *tres ruiné* statt *renommé* schrieb, mit Schreibfehlern nicht durchgelassen.“

»HÎC CACAVIT BENE«

<https://magazin.spiegel.de/EpubDelivery/spiegel/pdf/147238373>


Theodiscê scripsit Philippus Bethge, Latinê reddidit Leo Latinus

In parietinis latrinarum archaeologi sciunt indagare antiquam vitam profanam. Romani timebant daemones cloacarum, utebantur latrinis utriusque sexûs raroque alvum exonerabant sine consessoribus.



Antiquis Romanis alvum exonerare erat periculosum. In longis subselliis, quae erant aperturis instructa, Romani cacatum considerebant. Muscae stridebant. Ratti e cloacis ascendebant. Iterum iterumque flammae prosiliebant, cum gasa fermentationis, velut methanum et hydrogenium sulfuratum essent accensa. In tenebris umidis oriebantur morbi contagiosi. *Gemma Jansen*: »Canalis defluvialis« inquit, »erat sub ipsis hominum podicibus«. Eadem archaeologa latrinam romanam describit »locum foetidum atque periculosum«. Romani credebant in cloacis versari daemones. Bene fuit, quod dea Fortuna curabat homines latrinas frequentantes. Multis in antiquis Romanorum secessibus picturae et statuae Fortunae nobis sunt relictæ. Scientistae bene progressi sunt latrinas antiquas percrutati. Archaeologi perspiciunt parietinas secessuum praevetustorum, qui siti sunt Romae et Pompeiis. Qui Herculanei explicant inscriptiunculas obscaenas et in

parietinis Ostiae urbis portuariae mensurant diametrum sellarum sedium latrinarum. Gemma Batava coryphaea latrinologiae animo inflammato: »Latrinae« inquit, »plurimum valent ad investigationes archaeologicas«.



Quae investigatrix unâ cum *Anna Olga Koloski-Ostrow*, quae docet in Universitate Brandeisianâ Massachusettsiensi, hâc tempore scribit novum librum de hac materiâ odorâ. Gemma: »Usque nunc« inquit, »imprimis id studuimus, ut latrinas antiquas inveniremus et describeremus. Sed latrinis investigatis nunc studemus accuratius pernoscere Romanorum vitam consuetudinesque«. In historiâ hominum alvi exoneratio per longum tempus fuit res haud intricata. Ferê ubique inveniebatur locus ad requisita naturae aptus, post omne fruticetum. At homines cum migrare desinerent et sedes conderent, difficultas iis exorta est excrementorum accumulatione. Quarto millennio exeunte ante Christum natum Mesopotamii ad eadem removenda scrobes fodiebant quaterna et dimidium metra altas. Sic invenerunt secessum siccum. Mille annis post Minoi instruxerunt primam latrinam elutoriam. In palatio Cnossensi in insulâ Cretâ sito


inventae sunt parietinae systematis defluvialis. Denique Graeci invenerunt latrinam communem. In Palaestinâ rabbinicâ praescriptum est, ne quis alvum exoneraret nisi a templo aversus et in orientem spectans; in bibliae documentis vetustissimis, id est in legibus Qumranicis ante duo milia ferê annos scriptis, ne quis alvum exoneraret nisi saltim 1,4 chiliometris ab habitaculo remotus versus boreo-occidentem, et ut re finitâ podicem purgaret in aquis regionalibus. Qui praescripta parietinarum Qumranicarum sequitur, inveniet vestigia scrobis animalculis parasiticis abundantissimae.



Ovula enim vermium, qui sunt ascaridae, trichurides, taeniae, necnon oxyurides¹ per tempora diuturna permanserunt. Accolae enim nates suas omnes balneabant in stagno, id est in aquâ non fluenti. Quod iisdem non fuit salubre: Archaeologi, cum sepulchretum in propinquo situm perscrutati essent, invenerunt aetatem illorum hominum mediam fuisse triginta quattuor tantum annorum. *Iosephus (Joe) Zias* palaeopathologus Israhelianus: »Inde patet« inquit, »quid accidat, si homines praecepta biblica sequuntur secundum sensum verborum

¹ *ascarida*, -ae f. theod. *Spulwurm*, angl. *roundworm*; **trichûris*, -idis f. theod. *Peitschenwurm*, angl. *whipworm*; *taenia*, -ae f. theod. *Bandwurm*, angl. *tapeworm*; **oxyûris*, -idis f. theod. *Madenwurm*, angl. *pinworm*.

proprium«. Quo plures homines unâ convivebant, eo urgentiores fiebant difficultates hygienicae. Itaque Romani latrinam vocaverunt *necessarium*. In quodam textu, qui saeculo quinto p.Chr.n. de urbe Româ scriptus est, foricae memorantur 254 (ducentae quinquaginta quattuor). Illo tempore Urbs habuit 400.000 (quadringenta milia) ferê incolarum. Foricae aedificari solebant prope magnas plateas magnaue balnea. *Gemma Jansen* Batava archaeologa latrinarum romanarum doctissima refert his verbis: »Nonnullis in latrinis summum octoginta homines simul poterant alvum exonerare«. In Palatino, uno ex septem collibus urbis Romae, Gemma unâ cum Annâ Olgâ latrinam mensurando perquisivit unam ex usque nunc magnificentissimis. Ibi latet oecus lacunari alto instructus. Parietibus appositi sunt subsellia lapidea, quae sunt 50 foraminibus rotundis perforata, quorum distantia est quinquagenorum senorum centimetrorum. Quattuor ferê metris sub hominibus alvos exonerantibus fluebat defluvium per canalem, quem cum famosâ illâ *Cloacâ Maximâ* Urbis coniunctum esse verisimile est.



Homines non solum in lapideis subselliis sedebant, Gemma atque Anna Olga demonstraverunt fuisse etiam sedes latrinarum ligneas.

Nates a Romanis purgabantur *spongiâ longâ* baculo instructâ, quae podice exterso in sulco aquae angusto pelluta proximo tradebatur latrinae frequentatori. Gemma: »Nulla fuit« inquit »zona privata«. Verisimillimum est ne a visu quidem iuxta sedentium curioso protectum esse ullo dissepimento Romanum alvum suam exonerantem. At saltem togâ tunicâque effici poterat, ut pudenda latèrent.

Mulieres virique videntur communiter usi esse latrinâ. Gemma Batava latrinologa peritissima: »Ferê numquam« inquit »invênimus duas latrinas inter se propinquas unam ab alterâ secundum sexûs separatas«. At forica similiter ac hodie non erat locus iucundus, quo homines libenter morabantur. Gemma dicit se putare foetorem foricarum fuisse mephiticum. Itaque Romani malebant ad requisita naturae explenda petere refugia privata.

In domibus privatis latrinula plerumque inerat ipsi culinae. In hac re Romani iam suâ aetate secuti sunt rationem oecologiae modernae: qui curabant, ut excrementa eâdem viâ auferrentur quam reliquiae cenarum. Separatae autem latrinae domibus non inerant nisi hominum divitum. Lavatrinâs verê magnificas omniumque lautissimas saeculo secundo p.Christi. *Hadrianus Imperator* instruendas curavit in domicilio suo Tiburtino 25 ferê chiliometris ab urbe Româ remoto. Oecis altis et lucidis, qui erant parietibus marmoreis mirabilibusque operibus tessellatis instructi, Imperatori eiusque convivis iucundius fiebat vesicam alvumque exonerare. Necnon de operculis sedium latrinarum inauratis refertur a Gemmâ Jansen Batavâ latrinologâ. Maximê autem animus huius investigatricis inflammatur loquentis de latrinarum Hadriani fenestris magnificis. Ex iisdem fieri posse prospectum ad Hadriani hortos mirificentissimum. Gemma latrinarum laudatrix: »Hae latrinae« inquit, »aedificatae sunt, ut moveretur visitorum admiratio«. Clarê patet iam antiquos Romanos magni aestimasse alvi exonerationem quam cultissimam atque lautissimam. Aliâ in villâ, quae Herculanei sita hodie vocatur *Casa della Gemma*, parieti latrinae separatae inscripta sunt haec verba: »**APOLLINARIS MEDICUS TITI IMPERATORIS**> **HIC CACAVIT BENE**«. Quis haec omnia vult scire? Hac quaestiunculâ auditâ latrinologiae scitê

respondent antiquis latrinis perscrutandis vitam Romanorum cottidianam singulariter cognosci posse, praesertim condiciones illius aetatis hygienicas atque medicinales. Necnon linguistae studiis latrinologicis beatificantur, quibus cognoscant Latinitatem plebeculae Romanae verê vulgarem, qualem frustra quaerunt apud Caesarem Ciceronemque. Ita parieti *Villae Sancti Marci* Stabiensis inscripta sunt verba a nimiae elegantiae vinculis evidenter libera: »**CACAVI ET CVLV¹ NON EXTERSI**«.

Quae verba sunt profana, sed ex iisdem multa discimus. Itaque *Antonius Varone*, Italus archaeologus Pompeiorum perscrutator suavissimê affectus: »Hac inscriptione« inquit, »terminologia Latina ditificatur iuncturâ verballi quae est ,*culum extergêre*‘, et hîc primum omnium invenitur«. Praeterea ex formâ, quae est *culu*, licet concludere in pronuntiatu vulgari litteram m accusativi finalem esse elisam. Gemma autem Batava latrinologa concludit: »Alvi exoneratio« inquit, »sermone hominum antiquorum non tantâ cum pudicitîâ tractabatur quantâ modernorum«² .



¹ Sic! -m finale saepe non scribebatur propter desinentiae accusativi singularis pronuntiatum nasalem.

² Errat bona *Gemma Jansen* Batava latrinarum perscrutatix! Romani enim adhibebant multos *euphemismos* ad requisita naturae denominanda. Cicero non audeat ūti verbis qualia sunt *penis*, *mentula*, *di-visio*, Plinius non utitur nomine *âni* (sed *sessionis*), ipse Plautus strictê evitat verbum *cacandi*. Praeter Catullum et Martialem et Priapeum vix ullus Romanus poeta antiquus audeat *mentulam* et *culum* appellare suis nominibus, verbum *urinae* peregrinum aut *aquae* parum accuratum praeferunt verbo *lotii* Latino, *merdam* appellare solent *excrementa* aut *superflua corporis*. Vide supra epistolam Ciceronis ad Paetum scriptam (p.6-8) et EL 247 s.t. DE LATRINIS SECESSIBUS SELLISQUE FAMILIARICIS ANTIQUIS ET RECENTIORIBUS, cap. *Nomina secessûs Latina et theodisca, propria et euphemistica*.

Sed eadem nullo modo putat disciplinae suae scientificae inesse aliquid indecôri.

Iam iam archaeologa impigerrima consilium concepit nova arcana latrinarum investigandi. Nam sic semper cogitat bona scientistria: quae unâ quaestione ducitur ad alteram. Itaque Gemma: »In antiquis latrinis« inquit, »vix fuerunt vasa urinalia. Num ergo viri Romani non minxerunt stantes? Si tamen: Quomodo Romani id effecerunt, ut togam retinerent, ne eadem lotio madefieret?« Necnon Gemma quaerit curiosissima: »Num Romani gerebant subligaria³?«

**SYMBOLAM C.T.
»HIC CACAVIT BENE«
THEODISCE SCRIPSIT
PHILIPPUS BETHGE
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

³originaliter: *Unterhosen*. Romani gerebant *subligaria*.

DE NOVIS VERBIS CONFINGENDIS

Regulae Cardinalis Bacci

I. Primus fons sunt Latini scriptores optimi, qui classici hodie vocantur, et ei qui post renatas litteras viventes humanistae vocati sunt; ex eorum vocabulis multae res per similitudinem et affinitatem, seu analogiam, nova inventa excogitataque luculenter satis significari possunt.

II. Plurima nova inventa cogitataque ex Graeco fonte significari possunt; plurima iam ab antiquis Latinis scriptoribus ex Graeco fonte derivata sunt.

III. Nova verba, quae iam in communi usu sint et a probatis scriptoribus usurpata, adhiberi possunt, ut communismus et socialismus, si volumus, ut oportet, intellegi ab omnibus.


IV. Nova verba ex Graeco atque ex Latino fonte una simul concocta derivari possunt, quamvis haec verba, quae hybrida a grammaticis vocantur, a nonnullis omnino respuantur.

Quintilianus non solum accipit vocabula iuncta ex Graeco et Latino, ut v.g. biclinium aut epitogium, sed etiam ex duobus vocabulis peregrinis, ut epiraedium (epi Graecum et raeda Gallicum); de quo Quintilianus dicit: «Romani suum ex alieno utroque fecerunt» (Inst. I, 68).

Cur igitur, ait Cardinalis Bacci, quod Quintilianus concedit, non assumamus? Et exempla affert: autocinetum, autoraeda, autoarcera, televisio.

V. Ex antiquis auctoribus patet nos posse utique interdum, si necessitas postulet, verborum etiam ambitu uti, sed oportere omnino has periphrases esse necessarias, quam brevissimas, non incertas et obscuras, non crebras.

PARTES SELLAE FAMILIARICAE QUIBUS VERBIS LATINIS APPELLENTUR



p.347					
Sanitär- installation	plumbing	plomberie	fontanería	idraulica	rēs hydraulica
Toilette, Klosett	toilet	w.-c.	inodoro	water	sella familiārica [VARRO rust.1,13,4 in eo (sc. stercilino)...quidam sellas familiaricas ponunt] sella pertūsa [CATO agr.157,11 ubi in scutra fervefeceris (lotium), sub sellam supponito pertusam.Eo mulier adsidat.]
Spülkastendeckel	cistern lid	couvercle de réservoir	tapa de la cisterna	coperchio della cassetta	operculum cisternae
Schwimmerventil	ball-cock supply valve	robinet flotteur à clapet	válvula de entrada	valvola del galleggiante	valvula *fluitāculī
Nachfüllrohr	refill pipe	tube de remplissage de la	manguera de rebosadero	tubo di carico	tubus replētōrius

		cuvette			
Spülhebel	flush handle	manette de chasse d'eau	palanca de la cisterna	levetta dello sciacquone	vecticulus ēlūtōrius
Überlauf	overflow pipe	trop-plein	rebosadero	tubo del troppopieno	*redundāculum, -ī n.
Spülarm	trip lever	levier de déclenchement	palanca del tapón	leva di scatto	vecticulus ēlūtōrius
Schwimmer	float ball	flotteur	flotador	galleggiante	*fluitāculum, -ī n.
Kette	lift chain	chaînette de levage	cadena del tapón	tirante	catēna *levātōria
Klosettdeckel	seat cover	abatant de W.C.	tapa del inodoro	coperchio del gabinetto/water	operculum familiāricum
Klosettbrille	toilet seat	lunette des toilettes	tabla del inodoro	asse del water	iugum familiāricum [1.cfr Carl Ludwig Bauer, Deutsch-Lateinisches Lexicon, 3.ed., Breslau 1806,596: „Brille,...Brille des Abtritts, jugum, os, jugamentum“]
Klosettbecken	toilet bowl	cuvette	taza	vaso	pelvis familiārica
Geruchsverschluss	trap	siphon	sifón	sifone	siphōn odōris arcendae
Rollring	wax seal	anneau d'étanchéité en cire	aislante de cera	mastice di tenuta	ānulus impermeābilitātis
Ablaufrohr	waste pipe	tuyau de chute	bajante	tubo di scarico	tubus effluviī
Glockendichtung	conical washer	rondelle conique	junta cónica	guarnizione conica	iūnctūra cōnica
Absperrventil	shutoff valve	robinet d'arrêt	llave de paso	valvola di chiusura	valvula clūsāris [aqua clusaris CIL 6,11535]
Kaltwasserzulauf	cold-water supply	conduite principale	tubería de agua fría	tubo dell'acqua fredda	tubus aquae frigidae
Ventilsitz	valve seat	siège	asiento del tapón	sede della valvola di tenuta	sēdēs valvulae
Ventil	cistern ball	clapet	tapón	valvola di tenuta	valvula, -ae f.
Füllrohr	filler pipe	tube de remplissage du réservoir	boquilla	tubo di riempimento	tubus replētivus [2.PRISC.15,38; 18,170; DOSITH.46,13; 20]

ECHUS VOCES EPISTULAE

PROFESSOR EM. ANDREAS FRITSCH BEROLINENSIS

Andreas Nicolao virorum optimo sal. Plur.

Hodie demum, Nicolae, sodalis carissime, tandem hodie epistulam Leoninam 245 mihi dedicatam legere potui, quam mihi iam die 27 m. Oct. misisti. Incredibile dictu! Admiror non solum operam tuam, sed etiam gratiam tuam et benevolentiam, qua textus collegisti et in laudem meam Latine convertisti! De hoc dono valde gavisus tibi hodie summas (ne dicam ingentes) gratias ago, praesertim quod id mihi praeter opinionem evenit. Tu es vere sodalis Latinitatis, qui linguam Latinam non solum quaestūs causa, sed, ut ita dicam, amoris causa colit.

Denuo ignoscas quaeso, quod non semper ilico respondere possum. Non iam is sum, qui olim fui (triginta annos natus). Sed quoad vires sufficiunt, litteris Latinis et aliis studiis liberalibus incumbo. His diebus occupatus eram quibusdam negotiis vel officiis, quae ad societatem Comenianam (erat enim in urbe Dresda parvum symposium "Bohemicum Dresdense", ubi de Comenii idea "Machinae Didacticae" locutus sum) et ad bibliothecam (historiae disciplinarum paedagogicarum investigandae id est "Bibliothek für Bildungsgeschichtliche Forschung") attinent. Praeterea abhinc undecim dies mulier quaedam familiarior mortem obiit, quae die crastino funere ampliore efferetur; ad eius laudem mihi habenda erit brevis laudatio funebris. Hae res, etsi exiguae videntur, interdum plus temporis exigunt, quam putatur. Laetatus sum, cum te viderem in sessione 'zoomica', in qua Daniel Blanchard locutus est de Santolio Victorino, cuius ne nomen quidem antea noveram, nedum opera eius, ut verum confitear.

Sic autem Solonis dictum probatur: Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Mihi est in animo mense exeunte in sessione 'zoomica' ALF de eo libro Comenii loqui, qui inscribitur „Unum necessarium“. Spero fieri, ut hoc feliciter cedat. Te autem et uxorem tuam salvere iubemus nos, Irene et Andreas. Bene valete.

Nicolaus Andreae suo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Gaudeo te bene valere Comenianis studiis deditissimum! Interim computatro subito defecto accepi novum. Sed - proh dolor - amisi indicem inscriptionum electronicarum, quae spectant ad permultos homines linguam Latinam colentes. Spero me paulatim et gradatim has inscriptiones denuo accepturum esse.

Ceterum duos Helvetios naturae investigatores stupendos inveni Latine scribentes. Novistine Conradum Gesnerum et Albrechtum de Haller Helvetios polyhistores industriosissimos? Admiror opera horum virorum doctissimorum. At suspicor Albrechtum fuisse vexatorem bestiarum, quarum irritabilitatem probavit experimentis crudelibus.

Tuam autem acroasin zoomianam exspecto animo laeto atque suspenso.

Cura ut quam optime valeas, mi Andrea doctissime atque humanissime.

Medullitus te salutat Nicolaus sive Leo Latinus

CORRIGENDA ET SUPPLENDA

EL 245, p.6: OMNIA SPONTE FLUANT ABSIT VIOLENTIA **REBUS**.
(non: **RERUM**, *cfr p.16, sententia ultima*).

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materialiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non editur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-	TESTAMENTUM	Henricus				7 pp.	€ 17,50

		938905-09-8	REYNERI BERLBYN	van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90


	6A	25-8	– Libri audibiles						
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEXTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Martis
23. m.Nov. a.2021**



Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae